

lum, in quo tam pulcre superiori in cathedra stetisti,  
 (cuius rei ipse non oculatus tantum testis interfui sed  
 Ἐναντιομαχῆς,) Te ad id fastigium eruditionis iam  
 pervenisse, quod pauci attingunt, paucissimi superant.  
 Quod si vero tam luculenta atque edecumata, quae tan-  
 quam oculifera, ut Seneciano vocabulo utar, ad lectio-  
 nem alios non tam invitant quam pertrahunt, in hac A-  
 cademia exhibuisti, ubi, ut ipse fateris, multis subsidiis  
 destitutus es, quae ad argumentum exhauriendum ne-  
 cessaria videbantur, quid non de Te sperare in posterum  
 habebimus, ubi in patria telam, quam hic exorsus es,  
 pertexere visum fuerit? Ego autem uti omni officio-  
 rum genere Tuam amicitiam demereri, si fieri potest, o-  
 mni studio animique contentione laboro, ita nunc Deum  
 O. M. precibus veneror, ut studiis Tuis, quae ad ἀριστη-  
 iam pervenisse, pulcerrimo specimine demonstraisti, am-  
 plissima, quibus digna sunt, praemia brevi largiatur,  
 Teque, qui nunc Academiae nostrae patriaeque decus at-  
 que ornamentum es, Ecclesiae patriae columen Te ali-  
 quando esse iubeat. Scribebam Vitebergae Saxonum  
 Ipfis Kalendis Maiis A. O. R. clō lccc XV.

T. T.

M. Christ. Bernard. Bücher

Ord. Philos. Viteb. Adscriptus.